

Artificium Delitiae m.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGICA

Elenchitica XIV.

De

VIRTUTE SCRIPTURA-
RUM IN DISCERNEN-

DA RELIGIONE,

SEXTO CONTINUATA;

DEI OPT. MAX. AUXILIO,

UT ET

Reverendæ Fac. Theol. Consensu, in Regiâ & Florenti
Academî Aboënsi, publicè proponenda & examinanda,

PRÆSIDE

DN. ENEVALDO SVENONIO,
Q. G. A. S. S. Theol. Doct. Prof. Pastore Ab.
& h. t. Fac. Th. Decano.

RESPONDENTE

ANDREA MERTHEN A. Aboënsi.

In Audit. Sup. & Max. ad diem 25. April.

Aanno XCVII. M. DC. LXXIII.

ABOÆ,

Impressa à PETRO HANSONIO, Acad. Typog.

*Amplissimo, Prudentissimis, Politissimis
& Spectatissimis VIRIS,*

- Dn. ANDREÆ ALBERTI GIERDNER,
in Celeberrimâ Curiâ Metropolis STOCKHOLMENSIS,
CONSULI Äquissimo & meritissimo, Avunculo & Mecenati
suo ut propensissimo, ita perpetim submissè honorando.
- Dn. JOHANNI GOTOFRIDI ROSKAMP,
Latissimi Districtus Aboënsis SECRETARIO perfideli
& expedito, Fautori singulari, officiò colendo.
- Dn. JOHANNI OTTONI PEPER, Illustriss.
Comitis Dn. LEONHARTI JOH. Wittenbergz/
in Rinnuitto & Loimtoft &c. Redituum Praefecto accus-
rato & fideli, Amico & fautori magno.
- Dn. GEORGIO ALBERTI GIERDNER,
in Laudatissimâ Metropoli Holmensi Negotiato-
ri & Civi integerrimo; Avunculo suo quovis observan-
tia cultu prosequendo.
- Dn. JOHANNI A. Merthen/ iñ incluta Civitate
Aboënsi Mercatori impigerrimo, benefactori &
Fratri suo sincero cordis affectu amando.
- Dn. TORSTANO A. Merthen/ Dictæ Urbis
Civi perassiduo & OEnopolæ perquam Experto,
Fratri suo charissimo ac benefactori perpetim diligendo.
- Dn. CASTENIO Kröger/ Urbis ejusdem Mer-
catori Vigilantissimo, Amico sincere colendo.

*Hanc Disputationem Theologicam grati affectus
& observantia Ergò dedicare decrevit,*

RESPONDENS.

Pergunt Duræus & Melletus ad postulatum.

3. Annon confessiones utriusq; partis in corpore Harmonico jam olim, Ann. 1581, comprehensæ mirificè conspirent. Et annon consensus Augustanae, Saxonicae & Wirtenbergensis, cum Reformatarum Ecclesiarum Confessionibus sufficienter eluceat? Et si non, quid desideretur insuper?

Respondeo 1. Quomodo & an confessiones utriusq; partis seu nostræ cum adversariis conspirent, non est judicandum ex illâ Harmoniâ Confessionum Fidei, quæ Ecclesiarum Reformatarum, Gallicarum & Belgicarum nomine prodiit in lucem & impressâ extat Genevæ in Galliâ apud Petrum Santandream An. M. D. LXXXI, quippè in quâ urbe ipse Calvinus jacet sepultus; sed ex collatione confessionum cum verbo Dei, admisso nostræ fidei elucidandæ causâ isto Ecclesiarum nostrarum symbolo, genuino Libro Christianæ concordiæ.

R. II. Ut ex ungve Leonem agnoscamus, fiat brevis collatio articuli X. Aug. conf cum reliquis: a. *Augustana Confessio* hæc est, prior scilicet & genuina: *De cœnâ Domini docent, quod corpus & sanguis Christi verè adsint & distribuantur vescientibus in cœnâ Domini: Et improbant secus docentes. b. Confessio Helvetica prior quæ extat pag. 113. sic sonat: Art. xxii. Sunt enim ha res sanctæ venerandaq; utpote à summo sacerdote Christo instituta & suscepta, suo quo diximus modo res significatas exhibentes, testimonium rei gestæ præbentes, res tamen arduas repræsentantes, &c. quod mox sic declaratur in pag. seq. *Sursum elevamus corda ad Dominum, intelligentes majora hic agi, nimis rura non de pane edendo, aut bibendo vino, sed ipso Domino percipiendo, cum ob. donis suis per mentem fidelem.* Et paulo post: *Nunc autem sedet ad dextram patrû in gloriâ cœlesti: è quâ nunquam descendet, aut detrabetur in hunc terrenum peritumq; mundum.* *Confessio verò Helvetica posterior Cap. xi. ait sic: Neq; nos credimus, corpus Christi manducari ore corporis corporalitèr,**

E e .

sed

sed spiritualiter, utiq; non corporali modo, sed spirituali per spiritum sanctum: quod sic mox declaratur. Corpus Christi in celis est ad dexteram patris. Sursum ergo elevanda sunt corda & non defigenda in panem &c. v. Confessio Basileensis Art. vi. talis extat pag. 116: Sicut Baptismo (in quo nobis ablutio a peccatu, que tamen a solo patre, filio & Spiritu S. perficitur, per ministrum Ecclesie offertur) vera aqua manet: Ita etiam in cena Domini (in qua nobis cum pane & vino Domini, verum corpus & verus sanguis Christi per ministrum ecclesie praefiguratur & offertur) panis & vinum manet. quod sic mox declaratur. Spiritualis namque cibus est, ideoq; fidelis anima percipitur. Et in margine ad verba: presentem esse: Sacramentaliter nimirum & per memorationem fidei qua humanitatem ad celos attollit, nec Christum secundum humanitatem a dextra Dei detrabit. Ead. pag. Non includimus naturale, verum & substancialie corpus Christi, ex pura virginine Mariâ natum, pro nobis passum & quod in celos ascendit, in Domini panem & potum. d. Confessio Gallica, Art. xxxvi. ait: Quamvis nunc sit in celis, ibidem etiam mansurus donec veniat mundum judicaturus: credimus tamen eum arcana & incomprehensibili spiritu sui virtute nos nutritre, & vivificare sui corporis & sanguinis substancialia PER FIDEM APPREHENDA. e. Confessio Anglica Art. xii. haec est: Panem & vinum dicimus esse sacra & celestia mysteria corporis & sanguinis Christi, & illis Christum ipsum, verum panem aeternae vitae, sic nobis presentem exhiberi, ut ejus corpus sanguinemq; per fidem verè sumamus. Et post nonnulla: Christum afferimus verè sese presentem exhibere in sacramentis suis: in baptismo ut eum induamus: In cœnâ, ut eum fide & spiritu comedamus. Etsi enim Christi corpus dentibus & fauibus non attingimus, eum tamen fide, mente, spiritu tenemus & premissus. s. Confessio Belgica Art. xxxv. his verbis editur: Christus nutrit & sustentat vitam fidelium spiritualem, si comedatur, id est, applicetur & recipiatur spiritu

ritu per fidem. Ut autem panem hunc spiritualem & cælestem Christus vobis figuraret seu representaret, instituit panem & vinum terrenum & visibilem in corporis & sanguinis sui sacramentum. &c. &c. Has posteriores confessiones ab illâ primâ Augustanâ dicitur discrepare nemo nisi ὁ Φιλαρμόνιος laborans, non videt: ut enim his nulla alia corporis & sanguinis Christi præsentia statuitur in S. cœna nisi figurativa, significativa, repræsentativa & spiritualis, quâ corpus & sanguis Christi non ore corporis, sed fidei percipientur, adeoq; sic nullus indignorum accipiat hoc sacramentum, sed tolum qui credit, quod in omnibus prandio & coenâ communis fieri potest & debet à quelibet bono Christiano homine: Ita desideratur amplius ut haec omnes emendentur & ad primâ vñ illius confessionis Augustinianam corriganter, prout in Apologîa Aug. conf. declarata est his verbis: Decimus articulus approbatus est, in quo contitemur nos sentire quod in cœna Domini, verè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & vere exhibeantur cum illis rebus, qua videntur pane & vino, his, qui sacramentum accipiunt. Cum enī Paulus dicat, panem esse participationem corporis Domini &c. sequeretur panem non esse participationem corporis, sed tantum spiritus Christi, si non adesset verè corpus Domini. Conf. art. smale. & catechis. min. B. Luth. ut taceam nunc articulos istos reliquos de Persona Christi, Prædestinatione & Baptismo, &c.

Pergunt Dureus & Melletus ad Postulatum.

4. Annon Ecclesie Reformatæ (quas Calvinianas immeritò vocant) Confessionem Augustanam in ob. articulis, etiam in decimo, quantum ad rem ipsam, sanctè admittentes eopse scilicet sensu quo Melanchton ejus Scriptor illam intellexit, quæcum Luterenis illius confessionis genuinae sociæ, unanimi Casarea Majestatis omniumque Ordinum imperij consensu, pacis Westphalicae instrumento justè & prudenter sunt agniti & designatae, omnes articulos necessitate Medij ad

salutem necessarios, eo ipso habere & retinere censenda sint? Etsi non, quid insuper desideretur?

Respondeo 1. Eodem jure quo nos illi *Lutheranos*, cuius tituli nos neq; pœnitent neq; pudet, eodem jure illos *Calvinianos* nuncupamus. *Calvinus* enim 1. scripsit librum contra Joachimum Westphalum concionatorem Lutheranum Hamburgensem, in quo propugnabat corpus Christi in cœlo inclusum & circumscriptum esse, per spiritum verò, ejus virtutem corporis & sanguinis, fidei in S. Coenâ communicari, &c. vid. Dn. D. Luc. Ofiand. cent. 16. pag. 78. 79. 2. Longè lateq; errores sacramentarios primùm subtilius à se interpolatos, disseminavit, & Imperatori scriptum obtulit de *Necessitate reformatæ Ecclesia* An. 1544. 3. Scripsit literas ad Philippum Melanchtonem, quibus eundem in suam sententiam multis argumentis pertrahere conatus est, An. 1554. Scripsit qvaldam institutiones Theologicas, quæ à Calvinianis summis vēhantur laudibus. *Par est* igitur, dicente Athanasio orat. 5. contra Arianos, ut qvorum pravam opinionem receperunt, eorum quoq; vocabula & titulos accipiant. Ut igitur idololatæ in V. T. Baalitæ nuncupabantur; in N. T. Pseudodidascalî, Pharisæi, Saducæi, Nicolaitæ &c. dicebantur; orthodoxi verò & veri Dei cultores in utroq; Test. Israelitæ dicebantur, &c. sic eodem jure hodie illi vocantur Papistæ, Sociniani, Ariani, Calviniani &c. Hi verò veri Evangelici & Lutherani.

¶. II. Non admittunt omnes articulos Aug. conf. adversarij Calviniani, quin damnantur in Anabaptistis in multis clausulis; articulum verò decimum nequaquam admittunt quantum ad rem ipsam, sed nucleus eximunt S. coenæ, & mera nobis relinqvunt putamina cassæ nucis, ut constat ex definitiōne editionis Philippicæ, quæ sic habet: *De cœnâ Domini docent, quod cum pane & vino verè exhibeantur corpus & sanguis Christi,*

DE VI VERBI DISCERNENDI RELIGIONES. 621
ſi, vefcentibas in cœna Domini. Philippum igitur Melancto-
nem quod attinet, fuit is primò qvidem orthodoxus & fide-
lis B. Lutheri parastates, non solum contra Pontificios, sed
& contrâ Sacramentarios. *a.* in Colloqvio Marpurgensi An.
1529. *b.* Anno ſequenti 1530. & qvidem in iplis Comitiis
Augustanis masculè professus est ſic aduersus Zwingianos
articulum 10. de cœnâ Domini quemadmodum in Conf. in-
variata extat. Quam puritatem ut evidentius aſſereret eo-
dem anno, Sacramentariis oppoſuit libellum, in quo de or-
thodoxâ ſententiâ S. cœnæ collegit testimonia Patrum. An.
Subseq. 631. in Epift. ad Martinum Gorlizium pastorem Bruns-
vicensem, ſuam mentem ibidem candidè aperuit. ubi inter
alia ſic ſcribit: *Ego mori malim, quam hoc affirmare, quod illi affir-
mant, Christi corpus non poſſe niſi in uno loco eſſe, &c.* Sub idem
ferè tempus vel paulo ante, idem Philippus cum Brentio ſcri-
plerunt ad Philippum Hassiæ Landgravium, demonstrantes
firmiſſimiſ documentis, ſalvâ puritate Religionis, Zwingia-
nos in ſocietatem & fraternitatem, minimè recipi poſſe.
An. 31. Apologiam Aug. Confessionis in iplis comitiis conſcri-
ptam conſensu Lutheri & protestantium typis describi cura-
vit. Post Annū verò 1535. magis magisq; prob dolor, à
ſinceritate doctrinæ Lutheranæ deficere & cum Zwingianis
conſpirare coepit Philippus Mellanct. & de mutandâ puritate
Aug. Conf. conſilia agitare, quaꝝ etiam An. 41. in auctum
perduxit, tam miſerè adulterato ac depravato articulo deci-
mo de cœnâ Domini, ut qvisq; Sacramentariorum tutum
ſub iſto Cothurno latibulum figere queat: dum nimirum
duo hæc vocabula: *ADSINT ET DISTRIBUANTUR*, quin
& totam illam clauſulam *āvñgeliuñ*: *ET IMPROBANT SE-*
CUS DOCENTES, quaꝝ Sacramentariorum errori ex pro-
fesso erat oppoſita, ſubdolè expunxit. Quam Philippi in-

constantiam & clandestinam cum Zwinglianis seu Sacramen-
tariis collusionem gravissimè redarguebat B. Lutherus &
publicè profitebatur, stylum se tām adversus ipsum quam re-
liquos Sacramentarios strictrum, quo effectum, ut postea,
vivente Lutherò, sententiam in corde latenter non tām
liberè divulgarit: mortuo verò B. Lutherò, liberiùs & lo-
qui & scribere cœpit, ut manifestum sit ipsum postmodum,
nullam aliam mandationem corporis & sanguinis Chri-
sti in S. coenâ statuisse, quam spiritualem, quæ fit solâ Fide.
Et quidem hanc Sacramentariam sententiam in ipsas etiam
CONFESIONES SAXONICAS, nemine vel Theologo-
rum vel Politicorum animadvertente, inferrit. Tām enim
speciosè confessio Saxonica, quæ Synodo Trident. erat of-
ferenda An. 51. informabatur, ut virus illud Calvinisticum
primo intuitu deprehendi non potuerit. conf. B. D. D.
Hutt. Tract. de confessione Philippi; nec non comment.
Aug. conf. Dn. D. Calovj, de Philippo orthodoxo & hete-
roodoxo. Quibus adde Testimonium Dn. Alberti von Hel-
bach Superintendentis in S. Monte Johannis, qui in suâ
Facie verâ Aug. conf. quamvis paulò mitius de Melanchtone
judicium ferre videtur, sic scripsit pag. 42. **Das ist war/**
das sich Philippus Melanchton in vielen dingen gar ver-
dechtig gemacht/ gegen den Zwinglern heunlich ein zeit-
lang vor D. Lutheri Todt/ und darnach etwas öffent-
licher/ gar weich erzeigt/ freundschaft mit ihnen gehal-
ten/ gegen den unsren aber murrisch gewest und hart/
die Augspurjisch Confession ihnen zu gut gelindert haben
magh/ auch in etlichen Schriften gefehrliche reden ge-
braucht/ und also viel ergernus gegeben/ und vieler uns-
ruhe in der Kircken ein ursach worden ist/ ob er aber gar
und von herzen Zwinglisch worden/ weis Gott allein recht.

Resp.

R^g. III. Cujus Confessionis Aug. Sociæ sunt Ecclesiæ Reformatæ, ex his quæ jam declarata sunt evidentissimè constat, nimirum non primævæ illius, invariatae, genuinae & intemperatae, in quam nos juravimus; sed posterioris, à Melanchtione variatae, corruptæ, & adulteratae. A Cæslare ergo & ordinibus imperij pacis Westphalicæ instrumento quod agnitæ & designatae sint Ecclesiæ Reformatæ, esse sociæ Aug. Confessionis, ipsis si verum profiteantur non invidemus, in quantum una cum iis Transubstantiationem pontificiam, debellamus; quām verò justè & prudentè sint agnitæ conf. genuinae sociæ, ex jam adductis concludere potes. An itidem verò articulos necessitate medijs ad salutem neceessarios eo ipso habere & retinere censendæ sunt, scilicet illibatos, antea validissimis argumentis inficiatus sum? pag. 169. seqq.

Pergunt Duraeus & Melletus ad Postulatum:

s. Annon ex eo, quod utraq; Pars Fratrum Bohemorum, Waldensium & Albigensium confessiones seu salutares agnoscat, de salutari quoq; inter utramq; partem consensu benè inferatur?

R^g. I. Posito, hoc postulatum verum esse quod ad prius membrum, nil aliud inde concluditur, quam quod utraq; pars consentiat in confessionibus quibusdam generalibus, sed quod propterea sit consensus in fundamento fidei, non sequitur, sed plus infertur in conclusionem quam par est: Argumentum enim Duræi, tale est: *Quicunq; easdem confessiones seu salutares agnoscunt, de salutari quoq; inter utramq; partem consensu benè inferatur: Atqui utraq; pars Nostratium scilicet & Reformatorum Confessiones symbolorum Apostolici, Nicæni & Athanasiani seu salutares agnoscit & de salutari quoq; inter utramq; partem consensu benè inferatur.* R^g. a. Concedendo totum argumentum, modo voces Salutaris notitia & salutaris consensus, suman-

sumuntur pro eo quod defœcatum est ab omni veneno: nam medicamento in se salutari potest subordinari à malo medico cicuta, &c. B. Sin admittere nolit Duræus istam limitationem, sed vocab. *Salutare accipere malit sine ambiguitate pro verè salvifico*, tum argumentor per instantiam hunc in modum: *Quicunque easdem confessiones ceu salutares agnoscunt, de salutari quoque inter utramque partem consensu benè infertur. Atqui utraque pars, Pontificiorum scilicet & Calvinianorum, confessiones symbolorum, Apostolici, Nicani & Athanasiani, ceu salutares agnoscit.* Ergò de salutari quoque inter utramque partem consensu benè infertur. Respondebit & fatebitur Duræus conclusionem esse absurdam: Ergò concedet vel Majorem, vel Minorem, esse falsam: non dicet Minorem. E. Major omnium judicio falsa erit, quæ continetur in priori parte hujus postulati.

Respondeo II. Negando antecedens postulati, ut negemus conseqvens. Qualis enim erat *confessio Saxonica* à Philippo introducta videlicet subtilior, & ambidextera, talis est *confessio Bohemica*: ambæ in corpore isto Harmonico extant supra à Duræo allegato, videlicet sunt instar cothurni, utrique parti faventis: *Quocirca notandum probè est, quod quales sunt lectæ, tales sunt confessiones & vice versa;* at *Fratres Bohemi, Waldenses & Albigenses sunt Calviniani,* Ergò eorum confessiones sunt pariter Calvinianæ. Notissima enim esse oportet Calvinianorum varia Nomina: Appellantur enim vel ab autoribus vel dogmatibus jure 1. *Prædestinati*, quippè damnati olim in prædestinationis circa Ann. Christi 415. quod ab solutum prædestinationis decretum propugnaverint. 2. *Berengariani*, à Berengario, qui circa Ann. Ch. 1600. docuit corpus Christi ita ad dexteram Patris sedere, ut inde devocari nequeat. 3. *Carolstadiani*, ab Andrea Bodenstein Carolstadio, qui primus Sacramentariam hæresin in

DE VI VERBI DISCERNENDI RELIGIONES. 625
in Ecclesiam invexit, idq; tempore B. Lutheri nostri. 4. *Zwin-*
giani, ab *Hulderico Zwinglio*, Ministro Tigurino in Helvetiâ,
quippè qui causam Carlstadij fecit suâ, ut videre est ex collat.
Marp. 1529. præsertim verò peculiari confessione ejus Augu-
stam missâ ad Comitia An. Chr. 1530. 5. *Philippiſta*, illi præ-
sertim è Reformatis, qui cœteris videri volunt subtiliores, à
Melächtone, non priore seu orthodoxo, sed posteriore illo,
i. e. Heterodoxo & Apostatico. Conf. Hist. Aug. Conf. Chy-
træi. 6. *Waldenses* & *Albigenses* appellati sunt in Bohemiâ, à
Petro *Waldo* & *Albiâ* Augustâ Helviorum denominati, docere
incipientes circa An. Chr. 1170. Hienim cum Waldensibus
multa uno ore docuerunt, & quidem horribilia juxta Mi-
cræl. Hist. part. III. pag. 187. Confessio verò Fratrum Wal-
densium missa est Regi Hungariae Uladislao An. Chr. 1504.
Propter quam nomen *Waldensum* cœtibus suis tribuere ac
Confessionibus præscribere Reformati non erubuerunt.
7. *Picardi*, ab aſſeclis *Petri Waldi* civis Lugdunensis in Gal-
liâ, postea in Bohemiam transmigrantis, pariter scilicet in
Bohemiam accersitis. 8. *Taborite*, non à monte *Tabor*,
in quo transfiguratus est Christus, sed nomine desumpto
ab oppido *Tabor* 10. milliaribus bohemicis *Pragâ* distante.
Unde orti sunt juxta nonnullos, 9. *Fratres Bohemi*, qui
non tantum in Bohemiâ & locis vicinis, sed & in Poloniâ
sectantur Confessionem Bohemicam. 10. *Hussitas* sese pro-
fitentur Reformati, sed injusto titulo; quia neq; B. *Husse*
doctrinam per omnia seqvuntur, sed in multis ab eādem
discrepant, neq; ab *Hussitarum*, seu discipulorum *Husse* sectis
sese originem trahere agnoscunt. 11. *Hugonote*, appellari
consuevere Reformati in Galliâ, à qvodam *Hugone* ita dicti.
12. *Puritani*, appellati sunt Reformati in Angliâ, quod præ
cœteris puram *Calvini* doctrinam sectantur. 13. *Geusij in*
Belgio,

*B*elgio, ceu Mendici dicti, propter libellum supplicem Brederodi, qui deprecatus est tyrannidem *Hispanicam*. 14. *GOMARISTÆ*, à Francisco Gomaro Prof. Acad. Leid. & deinceps Gröningensis, qui se oppoluit Jacobo Arminio, Unde *Arminiani dicti*, qui à Coeteris Reformatis in 5. Rel. capitibus, de absoluto prædest. decreto, particularitate Red. per mortem Christi, circa servum hominis arbitrium, irresistibili gratiâ, & inamissibilitate fidei divortium fecere: Hi propter suam confessionem quam *REMONSTRANTIAM* nominârunt, dicti sunt *REMONSTRANTES*. *Quibus* contradicentes in Synodo Dordracenâ An. Chr. 1618. dicti sunt *CONTRAREMONSTRANTES*. 15. *SACRAMENTARI* πρώτως dicti sunt propter errorem insignem de *Substantia Sanctæ Eucharistie*, cum eandem Reformati parte coelesti *Corpore & sanguine Christi* detestando sacrilegio spolient. 16. *REFORMATI* omnium libentissimè salutari volunt; sed quam minimè huic titulo respondeant *DEFORAMTI* illi, luculentè demonstratum est circa principium hujus controversiæ cum *Duræo*.

*E*x. III. De Fratribus Bohemis quæstio est, non quales principiò fuerant *Hussite*, veri scilicet Joh. *Huss* discipuli; sed quales jam sunt per seculum & quod excurrit, disseminatio hinc inde Zwinglianismo. sic enim D. D. Calov. de illis in prælim. de pers. Chr. ait: *Quāmvis verò circa annum Christi 1575.* forte *Fratres Bohemi ad conformatiōnem cum verā confessiōne faciliores, quām moderni in Calvinianis Academiis infecti, fuerint, ac confessionem Bohemicorum ordinum imp. Rudolpho oblatam ab orthodoxis, animitus sese amplecti testati;* ut pro sociis *Confessiōnis* reciperentur effictim flagitarint; *suamq; tum confessionem quasi sepultam habuerint, ut libertate Religionis cum nostris induitū Cæsareo fruerentur, non receperunt tamen eosdem ordines orthodoxi in fidei*

DE VI VERBI DISCERNENDI RELIGIONES. 627
in fidei communionem, quin potius confessione suâ germanicâ, omnes
sacramentarios, veteres & novos, esse reprobare, nec cum illis in
fide coalescere velle, testati sunt. vide & seqq.

Pergunt Duranus & Melletus ad Postulatum:

6. Annon ex eo, quod Protestantes Ecclesie ex ijsdem principijs
veritatem catholicam adversus ejus hostes fideliter tuentur, ijsdemq;
planè armis eos impugnant; toto pectore disertè exsecrantur & refu-
tant utring; hæreses, tum veteres Ebionitarum, Marcionitarum,
Samosateniorum, Arianorum, Macedonianorum, Pelagianorum,
Nestorianorum, Etychianorum, &c. tum recentiores Mahumedanorum,
Pontificiorum, Anabaptistarum, Schwenkfeldianorum, So-
cinianorum, Libertinorum, &c. Et ex ijsdem principiis easdem con-
clusiones illis opponunt, annon, inquam, ex eo liquidò constet, quòd
illæ in principijs Christianismi & Articulis fundamentalibus saluta-
ritè consentiant? Etsi non sat liqueat, quid insuper desideretur?

Respondeo 1. Per instantiam: Quicunq; ex ijsdem prin-
cipijs veritatem catholicam adversus ejus hostes fideliter
tuentur, ijsdemq; planè armis eos impugnant, toto pecto-
re disertè exsecrantur & refutant utrinq; hæreses tum vete-
res Ebionitarum, Marcionitarum, Samosatenianorum, A-
rianorum, Macedonianorum, Nestorianorum, Etychiano-
rum &c. tum recentiores Mahumedanorum, &c. illi,
judice Durao & Melleto, in principijs Christianismi & Arti-
culis fundamentalibus salutaritè consentiunt. Atqui Pon-
tificij & Calviniani ex ijsdem principiis veritatem catholicam
adversus ejus hostes fideliter tuentur &c. Ergò, in princi-
pijs Christianismi & Articulis fund. salutaritè consentiunt.

Aut concedet Duranus cum socio totum argumentum, &
sic redeunt Reformati ad vomitum pontificium; aut Con-
clusionem unâ mecum absurdam statuet, ergò falsa erit vel
major vel minor propositio, si non utraq;; at non Minor,
quia de eadem utrinq; consentimus idq; longè verissimè.

Ergò falsa erit propositio Major, quæ, da veniam verbo, *ipſissimum* est postulatum tuum, *Duræ*. Vides ergò non procedere, neq; valere consequentiam: Ex ijsdem principijs disputare, contra tertium, scilicet Scripturis S. & fundamentaliter seu salutariter consentire in Fide & Religione: possunt n. etiam *Ariani* & *Pontificij* disputare ex scripturis contra *judeos*, quamvis in fundamento non consentiant, & sic consequenter.

R. II. Non semper disputare *Calvinianos* ex ijsdem nobiscum principiis, E. g. Contra *Transubstantiationem* pontificiam nos disputamus ex verbis institutionis Christi, ex 1. Cor. 10. alijsq; claris scripturis. *Calviniani* verò ex cœcâ ratione humana, quia corpus Christi est inclusum cœlū, &c. ubi contradicunt scripturis, Matth. 28:18. 20. Mibi data est omnis potestas in cœlo & terrâ. *Ego sum vobis* cum omnib. diebus usq; ad consummationem seculi. Unde argumentor: cui data est omnis potestas, is est ubiq; At non Christo Deo, quia enim prior dedit illi? Rom. 11:35. Ergò Christo homini. Est igitur Christus omnipræ sens etiam secundum humanam naturam: Et in S. cœnâ, peculiari & sacramentali modo.

Pergunt *Duraus* & *Melletus* ad Postulatum:

7. Annon *Articulus justificationis* hominis peccatoris coram Deo, sit articulus stantis & cadentis Ecclesiæ? Et annon salutariter utring, in confessionibus Ecclesiarum protestantium doceatur? Et se non, quid desideretur insuper?

R. I. Aliud est salutariter docere, in aliquo articulo fidei, aliud salutariter credere: priori à *Calvinianis* posito, non verò à nobis concessso, posterius ipsis negamus & probamus tali Syllogismo: *Quicunq; mortaliter peccant, salutariter non credunt.* Atqui *Calviniani* fundamentales errores fovendo de Christo, Prædestinatione, Baptismo & Cœnâ Domini, mortaliter peccant, ut antea probatum dedi, pag. 585. Ergò, *Calviniani* salutariter non credunt.

Resp. II.

q. ii. Negamus & illud prius: Nos enim docemus, non omnes *justificatos* esse *electos*, quippè possunt *justificati* etiam finaliter excidere gratiâ Dei ac æternum perire. Contra verò Calviniani, hæc pro reciprocis habent, *justificatos* & *Electos*, nostramq; doctrinam rejiciunt, quod verè credentes *justificati* ac Renati finaliter excidere possint gratiâ & salute, & reipsa quandoq; excidant, atq; æternum pereant. *Synod.* *Dordrac.* c. 5. art. *reject.*

Pergunt *Duræus* & *Melletus* ad postulatum.

8. Annon maximè piorum ac eruditorum utriusq; partis principum ac gravissimorum Theologorum inde ab ipsis Reformationis tempore in hunc usq; diem tot tamq; præclara testimonia, scripta & ex sanctorum communione acta sufficient, ad illum consensum evincendum? Et annon saltēm èquè attentandi calculi affirmantium & absolvientium, quām negantium & condemnantium?

Respondeo 1. Quo jure sunt salutandi pīj, & ex sanctorum communione adversarij nostri, cauteriatam circumferentes conscientiam, quippè manifestè veritati cœlesti contradicentes, non video; Eruditos esse concedo, superciliosâ & plus quām spinosâ mundi sapientiâ turgidos, qualibus abscondita esse mysteria coelestia, sibi suæq; ecclesiæ gratulatur *Salvator noster*, & revelata νηπίοις seu parvulis, Matth. ii: 25.

q. ii. Argumentor itaq; rursum: Scripta & acta eruditorum, principum & gravissimorum theologorum, arguunt salutarem consensum. Atqui scripta & acta magistrorum Pontificiorum & Calvinianorum, sunt scripta & acta eruditorum, principum & gravissimorum theologorum. Ergò, scripta & acta magistrorum Pontificiorum & Calvinianorum, arguunt salutarem consensum. Conclusio procul dubio Duræo absurdâ est, ergò vel Major vel Minor, non minor, quia nūquam appetet ratio dissimilis. Ergò falsa erit major, quæ ipsissimum postulatum Duræanum includit,

B. II. Quæro, cur per eandem Regulam non æquè atten-debantur calculi affirmantium & negantium inter veros & Pseudoprophetas in V. T. inter veros & Pseudoapostolos in Novo T. inter Catholicos tempore Arij, Nestorij, Etychetis, Macedonij, &c. & Pseudocatholicos. &c.

B. III. Verbum DAMNARE, quod positum est circa finem primi articuli Aug. Conf. de unâ Dei essentiâ & tribus perso-nis, Damnant omnes hæreses contra hunc articulum exortas. & in alijs noonullis articulis, quos tamen Calviniani retinere se protestant integros; Sinistrè interpretantur adversarij: dicunt enim scribuntq; cum Charitate pugnare, quòd in symbo-lis nostris interitum adversariorum nostrorum expetamus. Verùm distinguimus inter 1. Condemnationem Ecclesiasticā, quæ nibil aliud est, quam legis tonitru aduersus peccata primæ tabulæ Decalogi: Et Civilem, quæ prævaricatorem tradit Carnifici. 2. Inter homines adversariorum simplices, qui seduci possunt, & obstinatos Doctores, qui sæpè contra propriam conscientiam venenata dogmata propagant. 3. Inter Conde-mnationem absolutam & limitatam: Nos vero non absolutè con-demnamus totas Ecclesias, sed quosdam illis addictos in ve ritatem coelestem blasphemos, vel alias pertinaciter falsam doctrinam verbo contranitentem defendunt. 4. Inter Condemnationem profectam ex affectu carnis, & animo emendādi. 5. Adde ex B. Dn. D. Hutteri concordiâ conc. quòd liber conc. nunquam pro normâ judiciariâ fidei fuit Habitus, sed testis tantum officium sustinet, pag. 343. seqq.

Pergunt Duræus & Melletus ad postulatum:

9. An dogmata illa inter Ecclesias protestantes controversa, circa personam Christi, S. cœnam, Prædestinationem, Gratia extentionem, & alia libro Concordiæ Bergensis contenta præcisè spectata sint Christi-anismi principia, & articuli ad salutē absolute fundamentales? sive
10. An Controversiæ illæ agirentur salvâ doctrine in illis ipsis articu-lis

DE VI VERBI DISCERNENDI RELIGIONES. 631
lis parte fundamentalis. An verò tanti sunt momenti (in ijs scilicet
punctis, in quibus verus controversie cardo præcise existit) ut funda-
mentum ipsum evertatur, atq; adeò nulla spes veniae, gratiæ ac glo-
riæ, communionisq; cum Christo, ijs Ecclesiæ ac personis, à Dei mis-
ericordiâ affulget, quæ in his punctis controversis seorsim ab alijs
fentient, etiam si de fundamento fideliter & disertis verbis servato,
altum protestentur?

Respondeo I. ad postul. prius: Redolent adversarij, per phra-
go: *Libri concordia Bergensis*, antiquam columniam; quasi is
liber privatim in coenobio Bergensi fuisset confectus, varias
mutationes & auctorum invicem contradictiones perpessus, ut
criminatur *Hospiianus*, cum constet Sycophantarum hocesse
proprium, ut dum rem ipsam, quæ displicet, evertere non
possunt, ad personarum convitia descendant. Verum est. 6.
Theologos orthodoxos, istum librum ad nutum electoris Sa-
xoniæ composuisse, & de maturando toto negotio in isto coe-
nobio convenisse, nimirum, qui fuere, B. Dn. D. Iacobus An-
drea, B. D. Andreas Musculus, D. Christophorus Cornerus, B. D. Ni-
colaus Selneccerus, B. D. Martinus Chemnitius, & B. D. David Chy-
træus. Sed huic libro postmodum subscripserunt proprijs manibus
Tres Electores, Ludovicus Palatinus Rheni, Augustus dux Saxoniæ,
Johannes Georgius, Marchio Brandenburgensis; Duces 20. Comites 24.
Barones 4. Senatus Rerum publicarum 35. ut ex præfatione istius libri
constat. Nec non 8000. Theologi. conf. B. Dn. D. Leonharti Hutteri
concord. pag. 430. seqq. Item B. Dn. D. Gotofredi Cundisii observ.
in Hutt. cōp. p. 59. Relip. II. Ad idem postul. de Christianismi prin-
cipijs & articulis fundamentalibus & non talibus abundè responsum est
prius pag. 559. seqq. ut mirum sit cranibem toties recocitam apportari.
Resp. III. Ad postul. posteriorius: An adversarii veniam, gratiam &
gloriam à Dei misericordiâ sibi bonâ conscientiâ polliceri queant,
quamdiu tales manent, ipsi viderint, cum longè manifestissimum sit
Hæresis inter peccata mortalia referri, & homines è Regno Dei
excludere, Gal. 5: 20. Protestantur ergò non tam adversus nostros,
nostratumq; iudicia, quam ipsam *justitiam Dei*.

Pergunt

Përgunt Duræus & Melletus ad postulatum

ii. An itaq; non solum Dubitatio, atq; (etiam absq; malitiâ) negatio, sed & pura ignoratio in punctis illis controversis præcise spe-
cificatis ita sit fundamentalis, ut Christianum etiam simplicem & ple-
bejum damnet, & Regno Dei excludat, licet utring; concessa & re-
cepta fidei Christianæ dogmata fideliter recipiat, atq; in illa fide
piè vivat, & moriatur in verâ penitentiâ, Christi redemptionem &
meritum apprehendens pro suo solario, & peccatorum suorum remissione;
sive, An cuilibet Christiano è vulgo necessarium sit ad salutem scire
determinationem eorum, de quibus Doctores in Scholis disputant?

Respondeo i. De discrimine Negationis & Ignorationis
prius disputatum est ex Hunnio, Hulsemanno & alijs, id-
eoq; crambem illam non resorbemus.

Rg. ii. De Plebejis autem sciendum est a. in genere, quod
judice Spiritu S. eadem maneat seductores & seductos sen-
tentia, Esa. 9: 16. qui dirigunt populum istum seductores sunt,
& qui diriguntur (docentur) absorbentur. Si enim cœcus cœcum
duxerit, ambo in foveam cadunt. Matth. 15. Aut quorsum alias au-
ditores jubentur sibi cavere à Pseudoprophetâ, nisi pariter illis
atq; his foret periculosum errare? B. In specie, Aliud est
esse seductos simplicitè; aliud v. dubitantes esse; hi enim si pro-
piùs veræ quam false opinioni sunt, quodammodo referri
posse ad infirmos videntur, sc. quoad Theoriam, de quib; Paulus
1. Thes. 5: 14. Infirmos sufferte. De illis a. una cum seductoribus
pronunciamus quod scribit B. Dn. D. Hulsem. Resp ad Dur. Ep. p. 357;
Tolerare non possumus tanquam fratres & concorpores ejusdem fidei
quos Apostolus d. l. infirmorum loco & nomine non habuit, qui diver-
sos atq; alios à Thessalonicensibus cœtus, alia symbola, alia templa
alia Altaria faciebant, sed qui in uno visibili cœtu illius urbis, ea-
dem sacra, eandem fidem colebant 1. Thes. 1: 1. Infirmum membrum
corpori uni suog, inexistent oporeat: Revulsu à corpore ubi fuerit, &
membrum nomen & infirmi perdidit. Recipite vos ad corpus; à quo tē-
merè vosmet abscidistis, non tolerabimus tantum, sed curabimus, de-
mulcebimus, exoscularimur eos tanquam infirmos. Hæc ille.

Cœterū

AD

Ingenio, doctrinâ & morum cultura
Politissimum JUVENEM,

Dn. ANDREAM MERTHENIUM, Aboensem,
Amicum & commilitonem meum pedilectum:

Solus amor Christi veros conjungit amicos;
Perfidus ast Christo, subdolus ille mihi est.

Donec anhelantem pulmo tibi ventilat auram.

MERTHEN, erit tibi laus, jova, decorḡ simul:
Pacem qui docuit veram consistere in illo;
Nōsse Deum summum, post, coluisse pios.

L. Mq;

P R A E S E S.

AD

Juvem Eruditione ac Virtute præstantissimum,

Dn. ANDREAM MERTHEN ABOENSEM, de Confessionibus Reformatorum, in S. Cænæ negotio, doctè ac ingeniosè differentem, Amicum meum singulariter dilectum, hoc ἐπίγεμμα ἀντοχειδιαζόμεν@ deproperavi:

Esse fide certâ nixum Christiq, sequacem,

Id Confessores prodit & ornat opus.

At quibus est variâ fidei Confessio formâ
Edita, fallaci nomina id arte colunt.

Quisquis ob id foedos errores arte notârit,

Hæc Confessorum σφάλμα tanta fugit.

Fallor, an ex vero nunc auguror? Enthea, Mertthen/
Ingenij atq; animi vis micat inde tui.

Dum Confessores censes, Confessor haberis
Strenuus, & veræ Religionis amans.

L. Mq;

PETRUS LAURBECCHIUS P. P.

Dum toties, Merthen/ doctæ conamina mentis~
Ingeniiq; probas dona profunda tui,
Seu fueris Sophias inter Themidosve Cathedras~,
Jure tibi Pallas præmia digna parat;~
Nunc quia Thejologum cathedris salubria verbi
Sensa Dei repetis sedulitate pia,~
Atq; doces sacræ convivia mystica cænæ,
Ut Christi augescat sanguine nixa fides~.
Credo equidem tantis occurrere præmia curis~,
Præmia, quæ Christi sanguine parta Dei.
Crede Dapes Christi, sacratæ & pocula mensæ
Ritè asserta solo, non nocitura polo:
Efficient olim epulis accumbere divūm~
Inter cælestes, Angelicosq; choros~.
Sic studis operam curasq; locasse necesse est
Actus ut cælum penset honore pios~.
Jure igitur tantis conatibus optima quævis~
Apprecor, utq; Deus ritè coronet opus!

Ita lubens meritoq; sed festinâ manus studiis
Dn. ANDREÆ Merten/ applaudere voluit

JOHANNES FLACHSENLIUS.